Viro Celeberrimo Eruditissimoque

D: Jacquin S. pl. d:

G: H: Kramer.

Ex Insectis Frischianis, quae Clarissimus Gronovius desiderat unicum hac vice mittere potui. Nempe (lunarem) Scarabaeum thorace tricorni: intermedio obtuso bifido, capitis cornu erecto. Syst: Natur, edit: Lang: 11ma. pag: 346. Frisch: Insect: 4. t: 3. f: 7. Novem quidem hujus Specimina ad Te ferri curavi, sed omnia masculina sunt; Addidi his sex Ephemerae Specimina: longioribus setis, et antennis, alisque caerulescentibus donata feminina; brevioribus setis et antennis, albidioribusque alis prodita masculina sunt. Hae Ephemerae species nobis indigena quantum mihi videtur necdum à Linnaeo descripta est. Larvae ejus in aquis natant, et in argillosis tantum Leytae ripis habitant, Plerumque duodecima Mensis Julii volatiles factae postquam Sol occidit prodeunt, volant marium, natant feminarum myriades, supra Leytam, coeunt, moriuntur mares, deponunt feminae ova, et pereunt, ita ut brevissimo fruantur adulta animalcula gaudio, sub quo copulentur, et vix per horam vivant. Ex fossilibus sequentia adjunxi; quae cum graviora sint, jam heri ad noctem ad te misi, spero, quod jam obtinueris; 1 Volutae fragmentum crystallis spataceis minimis incrustatum. 2 Cinnabarin Leythiana. 3 Bulihorum Argilla in bracteas dehiscentis (: quam jam habes:) frustum multis concharum ectypis repletum, quae hanc argillam ex testaceis ortam esse testantur. 4 Stalactites est fungorum varias aetates referens ex Lapidicina Leytapontana. 5. Marmor Leytapontanum à me detectum cujus jam

magnum habes frustum minimis buccinis ut nuper credidi refertum, sed sunt hoc petrificata ut nunc magis inquirendo edoctus sum <u>Heliciti</u> Vogel <u>Bruck: Mineralsystem</u> pag. 241. Lapis iste olim frumentarius &c. nuncupabatur, habebantur enim inspersi Heliciti pro seminibus Cumini, Lentibus &c.

6. Iidem Heliciti in lapide alio calcareo Leytepontano, qui Scheuchzero Lentes lapideo audiebant. 7. lapis vulgo Granitus dictus, qui in Austria inferiore circa Monasterium Kettwein eruitur. differt iste lapis à vulgaribus granitis, Nam nec scatet granatis polyedris, sed saxum ex meris fragmentis indeterminatis quarzosis, rubescentibus et virideseentibus compositum est. 8. <u>Fragmentum Glossopetra</u> etiam ex fodinis nostris allatum.

Aviculas quibus me ~~beatas es~~ beasti, Linnei <u>Motacillas</u> ruticillas esse, non est quod dubitem; forte in Synonimo Catesbeiano error est. Si Edwardi, et Sloani opera evolvere possem gratum mihi opus praestarem. Utinam necdum descripta et depicta essent, icone adjecto tuo mihi charissimo nomine exhiberem!

Pisces pro Gronovio necdum mittere possum, cum primum nunc eos capiendi tempus adveniat; Quos jam collegi pro illo magis vulgares sunt, nec merentur, ut soli mittantur. Eos igitur alia vice dabo. Etiam insecta pro illo hac aestate colligere conabor.

KRAMER, G. H. (Stargardt
1965)